




# Theses juridicae inaugurales

<https://hdl.handle.net/1874/322931>

THESES JURIDICAE INAUGURALES.



9

# THESES JURIDICAE INAUGURALES,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BART. JAC. LINTELO DE GEER,

*phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Jur. Doct., Prof. Extraord.,*

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

## PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

LEONARDUS EDUARDUS BOSCH,

*Rheno-Trajectinus.*

A. D. XXIV M. MARTIS A. MDCCCLI, HORA II.


---

Trajecti ad Rhenum,

APUD L. E. BOSCH ET FILIUM,

*Academiae Typographos.*

MDCCCLI.



## T H E S E S.

---

### I.

In L. 7 pr. D. de capite minutis lectio Haloandrina:  
»tutelas etiam non amittit capitum diminutio, exceptis his  
quae in alieno jure personis positis *non* deferuntur" cum  
Huschke (Rhein. Mus. VII. 168) probanda videtur.

### II.

Verba in L. 72 pr. D. de contrahenda emtione: »sed  
quo casu agente emtore non valet pactum, idem vires  
habebit jure exceptionis agente venditore" minime intelligenda  
sunt cum summo Cujacio (Observ. 14. 28): agente emtore  
et se defendantem venditorem. (Tüb. Krit. Zeits. IV. 251.)

III.

Non probanda est in L. 15 § 1 D. de fidejussoribus conjectura d'Arnaudii, legendum esse *et sic quum decem petere institueris*, nec Schultingii sententia, in hoc casu exceptionem divisionis locum habere.

IV.

Venditione facta cum in diem addictione, primus emtor debet plus offerre quam secundus, si hunc vult vincere.

V.

Minus probandus a. 1098 C. C.; — praeceptum, in L. 55 D. de acquirenda hereditate indicatum, recipiendum fuisset.

VI.

Matrimonium per procuratorem, venia ab rege non impetrata, contractum ipso jure nullum est.

VII.

Si mandans et procurator eodem temporis puncto nuptias contraxerunt, nuptiae non valent.

VIII.

Matrimonium sine libera voluntate initum valet ex rati-  
habitione expressa, licet tres menses praeterlapsi non sint;  
si autem statim separati sunt recepta libertate, post quin-  
quennium nullitas hujus matrimonii peti potest.

IX.

Si locatio ab usufructuario inita tempus lege definitum  
transgreditur, conductori actio in fructuarii heredes, rescissa  
a proprietario conductione, non competit, etiam si conductor  
nescivit, locatorem usumfructuarium esse.

X.

Contra Zachariae defendo, eum qui hereditatem pure  
adiit tamen legatariis et donatariis detrahere posse, quod  
portioni debitae deëst.

XI.

Qui nomina ludi publici (loteriae) emere et vendere  
solet est mercator.

XII.

Minus probanda sententia relata Bijblad 1848 p. 107, eum, qui mandaverat alicui nonnulla nomina publica emere et vendere, hujus obligationis causa carceri civili obnoxium esse, et ad probationem, eum mercatorem esse, sufficere declarationem scriptam nonnullorum mercatorum.

XIII.

Nomen praetermissum in codice diario probari nequit ex reliquis codicibus.

XIV.

Forocedens amittit administrationem rerum suarum inde ab initio foro cessionis; nec obstat art. 770 C. M.

XV.

Usurae ex conventione vel ex mora currunt, licet debitor foro cesserit.

XVI.

Haud probandum quod legislator Gallicus non distinguit infanticidium inter a matre vel ab extraneo commissum.

XVII.

Non verbi divini ministris verum ecclesiae competit actio in civitatem de honorario, quod illis promissum est.

XVIII.

Lege municipali domino aedificii imponi non potest refectio orae (schoeijing), cuius dominium non habet.

XIX.

Juris ex L. 25 Januarii 1817 de dominio litterario, quod dicitur, restrictio ad vicennium post mortem auctoris in art. 3 spectat etiam opera, ante hanc legem edita.

XX.

Interpretatio alicujus operis peregrini non impedit, quominus alius ejusdem operis interpretationem novam typis mandare possit.

XXI.

Minus probandum, quod ex futura lege de ordine judiciali art. 112 soli referendarii examini obnoxii forent.

— 10 —

## XXII.

Civitatem definire panis pretium (de broodzetting) obstat  
praeceptis oeconomiae politicae.

## XXIII.

Licet momentanea calamitas agricolarum in Anglia *partim*  
imputari possit derogationi legum de annona, haec tamen  
derogatio maximopere est probanda.

## XXIV.

Vere jam Plato (de Republica II. 12) matrimonia inconsulta  
grassantis paupertatis uberrimum fontem indicavit; quo circa  
illud quod dicit Cons. de Bruyn Kops, Beginselen van  
Staathuishoudkunde p. 277: *tot genezing der armoede is het  
noodzakelijk, dat de behoeftigen meer voortbrengen, non omne  
affert remedium.*

